



CAsparus Kindelman natus est Rapperschuui  
 Clæ apud Heluetios ad lacum Tigurinum, an-  
 no 1515. Hic cum in patria prima literarum funda-  
 menta percepisset, sese ad alia loca studiorum gra-  
 tia contulit, atq; haud poenitentiam eruditionē ac-  
 quisiuit. Inde monasterium Sueuiæ Ottenbeüren  
 haud procul Meminga ingressus, ordinem suscepit,  
 & magna diligentia libris incubuit. Accedebat  
 & naturalis prudentia, cum facundia rara. Itaq; fa-  
 ctum ut anno 1547 eius loci abbas eligeretur. Mo-  
 nasterium illud in Guntiana ualle ad Guntium a-  
 mnem situm, olim erat oppidum & castrum comi-  
 tum Illergouix: ex quibus Syllachus Alemanie præ-

fectus eiusq; conuix Ermisuinnda anno 764. Benedictinis celebrem habitatio-  
 nem fundarunt, & filium suum S. Totonem primum ibi abbatem constitue-  
 runt, qui etiam eius monasterij multa priuilegia impetrauit à Carolo Magno  
 Imperatore. Erat quidem Casparus corpore paruus, uerum animo excelso &  
 præclaro. Huius uiri uirtutes Otto Cardinalis Augustanus, magni iudicij prin-  
 ceptus, recensuit & commendauit in monasterio Elchingen, quò etiam hunc  
 Abbatem ad se euocarat, ut censuræ interesset, quæ anno 1565 sub initium Apri-  
 lis de eius loci abbate habebatur. Itaq; factum ut Casparus ob uitæ frugalita-  
 tem suum monasterium alieno ære obnoxium egregie liberarit, & plurimum  
 eius redditus auxerit, ita ut passim apud finitimos in magna existimatione e-  
 xistat. Casp. Bruschi. in Monast. Germ.